

4000 praesepia dicuntur, corrigendus est. Verisimiliter littera $\tau = 4$ a librariis in $\nu = 40$ mutata est. Similiter II. Regum 24, 13. (conf. I. Paral. 21, 12.) numerus 3 cum 7 permutatus est.

2. *Error interpretationis* multis modis causa pugnae fieri potest; ita diversas vocis significationes permutando, vel significationem verborum depravando, falsum nexum (e. gr. chronologicum, realem vel psychologicum) statuendo, sensum perperam coarctando vel dilatando, hyperbolas ad verbum, vel hypothetice dicta absolute accipiendo, alienam sententiam (e. gr. verba aliorum non inspirata in Bibliis allata) auctori tribuendo, duo testamenta confundendo. In his casibus interpretatio corrigenda est.

E. g. vox *tentare* Gen. 22, 1. significat experiri, Jac. 1, 13. ad malum incitare; quod si non attendatur, loci illi, quorum priore Deus Abrahamum tentasse narratur, altero autem neminem tentare dicitur, inter se repugnent. — Voces *fides* et *opera* aliud apud S. Paulum, aliud apud S. Jacobum significant. Apud Paulum fidem theoreticam atque practicam et opera legis Mosaicae externa atque caeremonialia, apud Jacobum fidem mere theoreticam et opera moraliter bona Christiana. Quae considerantes facile concordamus Rom. 3, 28. et Jac. 2, 14. 24. — Phil. 4, 3. eum, quem S. Paulus germanum comparem (*σύζυγε γνήσιε*) appellat, nonnulli uxorem apostoli existimant; sed ita hic locus repugnaret illi I. Cor. 7, 8., ubi apostolus se caelibem profitetur. — Luc. 14, 26. odium parentum praecipui videtur, quod praecepto Dei quarto contrarium est. Sed si scias odisse eo loco idem valere ac minus amare, pugna cessat. — Si in evangelio Matthaei ubique nexus chronologicus praesumitur, innumeratae pugnae cum reliquis evangeliiis oriuntur, quae tamen simul ac ordo relationis realis noscitur, sua sponte evanescent. — Apud Matth. 3, 4. legimus escam Joannis Bapt. fuisse locustas et mel silvestre; 11, 18. autem legimus Baptistam neque manducasse neque bibisse. Sed pugna disparet si animadvertitur locum posteriorem per auxesim dici, et tantum vitam austeram, non autem omnis alimenti carentiam significari. — I. Reg. 31, 4. auctor inspiratus narrat regem Saul ipsum super gladium irruisse, et II. Reg. 1, 10. Amalecites de rege a se occiso gloriatur, sed mentitur. — Joan. 1, 21. Baptista ad mentem legatorum de munere suo sciscitantium respondet: propheta *ὁ προφήτης* non sum, scilicet Messias vel propheta antiquus redux, quem cogitatis. Ita verba Joannis verbis Christi, qui Matth. 11, 9. eum prophetam celebrat, non repugnant. — In antiquo et novo testamento diversa est conditio loquentium. In illo multa latent, quae in novo revelata sunt, multa ibi permissa, quae hic prohibita, imo non-

nulla ibi praecepta hic prohibita e. g. circumcisio. Qua differentia neglecta multae duorum testamentorum repugnantiae inveniuntur.

3. Notae *verae pugnae tunc desunt*: a) si *plura* (quamvis similia) *dicta vel facta* perperam pro eodem habentur, b) si *diversi intuitus* negliguntur, c) si contraria existimantur ea, quae *vere contraria non sunt*.

a) Frequens pugnarum causa est, quod *loci similes paralleli putantur*. Talis pugna vera non est, quia non de eadem re et eodem facto agitur. E. g. Gen. 12, 11. sqq. 20, 2. 26, 7. aliae uxoris dissimulationes narrantur; Matth. 8, 5. sqq. sanatio pueri centurionis et Joan. 4, 46. sqq. sanatio filii reguli alii sunt eventus quamvis similes; alia est panum multiplicatio Matth. 14, 15. sqq. et 15, 32. sqq.; alia templi purgatio Joan. 2, 13. sqq. et Matth. 21, 12. sq.; alia unctio Matth. 26, 6. sqq. Joan. 12, 3. sqq. et Luc. 7, 37. sqq. Haec ergo et alia facta similia si quis pro eodem habeat, non mirum, ut pugnas inter relationes inveniatur. Vita Christi terrestris varietate rerum gestarum carebat; similes casus et actus in ea frequenter recurrebant. Ideo dicta et facta, quantumvis multis partibus similia, ceteris tamen adjunctis diversa, pro aliis eventis sunt habenda. — In prophetiis considerandi sunt varii Christi adventus: carnalis, moralis, historicus, eschatologicus; quibus permutatis et confusis saepe discordiae inter praedictionem et implementationem exoriuntur.

b) Quum *diversa ex parte diversa dicuntur*, ei qui diversitatem rationum non animadvertit, repugnantiae adesse videntur. *Caveat ergo interpretes, ne diversos intuitus negligat*. Specialiter valent sequentes *regulae*.
 α) *Distingue diversa tempora et loca*. E. g. Act. 9, 7. comites Pauli in via Damascena dicuntur stetisse et vocem audisse, neminem autem vidisse; 22, 9. iidem dicuntur lumen quidem vidisse, vocem autem loquentis non audivisse; 26, 14. Paulus et socii dicuntur in terram decidisse et Paulus vocem audisse. Quae tempore distincto consonant. Deinde β) *distingue duplicem Christi naturam*, ejusque cum Patre substantialem unitatem et personae diversitatem. Aliter non possunt componi ea, quae de Christo in S. Scriptura contraria dicuntur: eum ex Maria natum esse et tamen ante Abraham imo ab aeterno fuisse, mortuum esse, et in aeternum mansurum; in scientia et virtute profecisse, aliquid ignorasse; eum Deum esse, et tamen Patrem solum Deum esse; Christum aequalem esse Patri imo unum cum Patre et tamen minorem Patre. Duplicis hujus Christi naturae ratione habita baptismus in nomine SS. Trinitatis (Matth. 28, 19.) administratus non repugnat baptismi in nomine Jesu Christi (Act. 8, 12.).

c) Saepe diversae relationes vel doctrinae *obiter spectatae inter se repugnare videntur; accuratius tamen perspectae concordant*. Speciatim notandae sunt *regulae* sequentes: *α) Silentium unius auctoris non repugnat alterius relationi, nisi prior probetur, ejus rei mentionem facere debuisse*. E. g. iis quae Matthaeus de adventu magorum, de fuga in Aegyptum et de infanticidio (c. 2.) narrat, non repugnat taciturnitas Lucae. Similiter quae Paulus ipse de vita sua refert (e. g. II. Cor. 11, 25. sqq. Gal. 1, 17. 2, 11. sqq.), ea non adversantur silentio Actuum apostolorum. Constat enim neminem sacrorum auctorum consilium omnia referendi habuisse, et recentiores antiquorum relationes repetere noluisse. *β) Discrepantia in modo narrandi non est repugnantia in re* narrata. E. g. si homo binominis modo uno, modo alio nomine appellatur (Matth. 9, 9. Marc. 2, 14. Luc. 5, 27.); si alia ratione et ab alio initio spatia temporis computantur, aut unus auctor exacto, alter rotundo vel indefinito numero utitur (Gen. 15, 13. Ex. 12, 40. Act. 7, 6.; III. Reg. 17, 1. 18, 1. Luc. 4, 25. Jac. 5, 17.; Matth. 17, 1. Marc. 9, 1. Luc. 9, 28.; Matth. 19, 29. Luc. 18, 30.; Marc. 15, 25. Joan. 19, 14.); si quisque ad alium finem et alia ex parte, hic breviter aut minus accurate, ille copiosius et accuratius rem narrat, e. g. unus unius, alter aliarum circumstantiarum mentionem facit, unus adjuncta leviora vel alias nota omittit, alter memorat (Matth. 8, 5. sqq. Luc. 7, 1. sqq.; Matth. 9, 18. Marc. 5, 22. 35.; Matth. 9, 20. sqq. Marc. 5, 25. sqq. Luc. 8, 43. sqq.; Matth. 21, 2. Marc. 11, 2.; Matth. 26, 6. sqq. Marc. 14, 3. sqq. Joan. 12, 1. sqq.; Matth. 27, 16. 57. Marc. 15, 7. 43. Luc. 23, 25. 50. sq.; Matth. 28, 2. Marc. 16, 5. Luc. 24, 4.); unus hunc, alter alium ordinem servat, e. g. unus chronologicum, alter realem (Matth. 26, 2. 6. sqq. Marc. 14, 1. 3. sqq. Joan. 12, 1.); alter verba loquentis, alter sensum refert (Matth. 26, 34. Marc. 14, 30.; Matth. 26, 39. Marc. 14, 36.; Marc. 6, 8. Luc. 9, 3.). *γ) Non est pugna si unus locus unum, alter aliud salutis medium commendat*. Ipse Christus Dominus salutem modo fidei (Marc. 16, 16. Joan. 3, 16. sqq.), modo bonorum operum (Matth. 25, 35. sq.) praemium esse docet. Sed vera pugna non est, quia utrumque medium est necessarium, et unum alterum complectitur. — S. Paulus Rom. 3, 28. hominem per fidem justificari dicit; e contrario Jacobus 2, 14. 24. (imo ipse Paulus Rom. 2, 25. I. Cor. 7, 19. Gal. 5, 6.) operibus bonis id fieri asseverat. *δ) Si idem praedicatum diverso sensu de eodem subjecto affirmatur et negatur, repugnantia non est*. E. g. Gen. 2, 2. dicitur Deus ab universo opere (puta creationis: »quod patrarat«) requievisse, et tamen Joan. 5, 17. dicitur usque modo operari (scilicet mundum conservando et gubernando). —

Gen. 32, 30. Jacob dicit se Deum facie ad faciem vidisse (scilicet in visione vel corporali specie), et tamen Joan. 1, 18. Deum nemo unquam vidisse (i. e. essentiae divinae visione) dicitur.

Omnibus his praeceptis observatis fieri non potest, ut in S. Scriptura pugnae internae *materiales* remaneant. Pugnae autem *mere verbales* verae pugnae non sunt.

§ 76.

Origo et compositio pugnarum externarum.

1. — *Causae* pugnarum externarum tres sunt possibiles: *mala Scripturae interpretatio, error scientiae humanae vel notarum pugnae absentia*. Regula ergo generalis hac in re est: ut pugnae tollantur, aut *Scripturae interpretatio* est repetito studio *corrigenda*, aut *inquisitio scientiarum renovanda ac perficienda*, aut vero inspiciendum est, num sensus Scripturae et scientiae *sine pugna componi possint*.

Haec fuit semper doctrina ecclesiae. Audiatur *S. Augustinus*: »Si manifestissimae certaeque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas: non intelligit, qui hoc facit, et non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati«. (Ep. 7. ad Marcellin. n. 7.) »Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest.« (Ibid.) — Et *concilium Vaticanum* docet: »Inanis contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur.« (Sess. III. Const. de fide cath. cap. 4.) Si concordia interim constitui non potest, cunctandum est in sententia ferenda. »Permulta enim, inquit S. P. Leo XIII., ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam jactata, quae nunc utpote inania, penitus obsolevere; item non pauca de quibusdam Scripturae locis sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio.« (Encycl. Prov. Deus.)

2. — Specialiter quod ad singula pugnarum externarum genera attinet, circa pugnas philosophicas, historicas et physicas sequentia sunt observanda.

1. *De pugnis philosophicis*. Pugna philosophica est dissensio inter S. Scripturam et scientiam rationalem, e. g. philosophiam speculativam. Verum talis dissensio Scripturae, nisi cum falsa philosophia, non existit. Etenim

a) Nulla veritas philosophica S. Scripturae repugnat, imo vera et sana philosophia doctrinas S. Scripturae rationi accessibiles plane confirmat, doctrinas autem rationem excedentes rationi non repugnare, saepe etiam placere demonstrat.

b) Sunt quidem systemata philosophica: atheistarum, pantheistarum, materialistarum, positivistarum, darwinistarum, etc., quae S. Scripturae omnino repugnant; quibus ergo nec religio Christiana, nec sana philosophia conciliari unquam possunt. Sed illa mera placita subjectiva et imaginationis figmenta esse erroresque manifestos: et magna eorum diversitas ac repugnantia, et auctorum lites, et oppositae rationes evincunt. Conveniant primum philosophi increduli de aliquo systemate, idque solide probent, et tum demum pugnam Scripturae et rationis conquerantur.

c) Ratio humana errori obnoxia est, et teste experientia frequenter etiam errat. Non quasi facultas ipsa recte adhibita atque evidentia fallere possint, — quod certe nemo nisi scepticus dixerit; sed ideo, quia conditiones veritatis et evidentiae cognitioni humanae saepe desunt, vel non sufficiunt, et homines temere judicant. Revera in omni fere scientiarum genere praeter multa indubie vera, multa sunt verisimilia, plurima incerta, puta opiniones et hypotheses. Et non ea, quae certa sunt, Scripturae opponi solent, sed incerta ac falsa.

2. *De pugnis historicis.* Pugna historica est dissensio inter S. Scripturam et historiam. Pugnae quidem historicae ab adversariis S. Scripturae satis multae objiciuntur, sed omnes illae aut verae non sunt aut errores historiae sunt. Namque

a) Multae pugnae historicae tantum *apparentes* sunt, quae aut e textu corrupto, aut ex mala Scripturae vel monumentorum interpretatione, aut ex varietate narrationum oriuntur. In his casibus interpretis et apologetae est fontes pugnae obstruere. Si tamen pugna *vera* inveniatur, ratione habita inspirationis dubitandum non est, quin a parte sacri auctoris sit veritas et auctor profanus erraverit aut mentitus sit.

b) S. Scriptura praesertim in nominibus propriis et numeris multas mutationes subivit. Alioquin S. Scriptura res profanas minus curat et minus diligenter describit, facta historiae profanae celeberrima vix leviter tangit et omnia intuitu historiae sacrae enarrat. Insuper multi auctores sacri doctam historiae scribendae rationem non observant, imo saepe verbis obscuris atque ambiguis et sermone tam imperfecto utuntur, ut a nobis circumstantias

ignorantibus vix intelligi queant et facile male intelligantur atque exponantur.

c) Ubi S. Scriptura aliquamdiu cum veritate historica pugnare videbatur, novis monumentis detectis vel notis penitus perscrutatis, semper vicit et verax inventa est.

Suffecerit aliquot exempla attulisse. Antiqui rationalistae Moysi objecerunt, quod in Aegypto oves, asinos et camelos memorat, equos autem non memorat, quod Josephum in gynaeceum intrasse dicit, Aegyptiis vini usum attribuit, quod de die natali pharaonis loquitur, quod pharaonem amicum Israelitis factum esse narrat. Haec et alia, moribus Aegyptiorum a scriptoribus Graecis traditis contraria saepe tamquam anachronismi Moysi exprobrabantur. Sed monumentis Aegypti non ita pridem in lucem protractis, color Aegyptiacus narrationis Mosaicae agnitus et probatus est, et scriptores illi Graeci erroris convicti. Simili modo inscriptiones cuneatae de regibus in libro Judith memoratis (Nabuchodonosor, Arphaxad), de rege Phul, Baltassar et Dario Medo, paucis abhinc annis in dubium vocatis, certiores nos fecerunt. Eventus etiam in libro Danielis narrati, moribus et rebus gestis Babyloniorum recentiore demum tempore ex monumentis cognitis, apprime convenire inventi sunt. Census Quirinii diu negatus jam inscriptionibus probatus est. Lysaniam tetrarcham aetate Christi vixisse, quod Strauss et alii altero Lysania apud Josephum memorato decepti infitiati sunt, inscriptiones Abilena et Heliopolitana demonstrant. Tempore S. Pauli insulam Cyprum a proconsulibus gubernatam esse, inscriptiones nobis contra rationalistas probarunt. Ideo S. Scriptura etiam ut fons historicus omnibus aliis anteponeendus.

d) Antiquos autem historiographos atque ipsa monumenta lapidea nonnunquam falsa referre, et rei natura et experientia probat. Omnes enim testes humani quantumvis docti atque cauti sunt errori obnoxii, nec semper ab opinione praejudicata, ira et studio vacui. Scripta et monumenta antiqua sexcenties inter se repugnant, historiam antiquam mythis confundunt, res gentium exterarum ignorant vel animo alieno et injusto judicant.

Quidam reges Aegypti inscriptionibus praedecessorum gesta celebrantibus, nominibus eorum erasis, propria nomina inseruerunt. Antiqui historici, sacris scriptoribus solis exceptis, virtutes ac victorias populi sui augent, vitia et clades silentio tegunt. Herodotum a sacerdotibus Aegyptiis saepe in errorem inductum esse hodie constat. Quae Ktesias de historia antiqua Assyriorum, Babyloniorum et Persarum tradiderat, eorum maximam partem monumenta in fabulas et mythos relegarunt.

Tacitus in Judaeos et Christianos inimico fertur animo. Josephus Flavius de rebus gestis Christi, apostolorum et primorum Christianorum pauca, eaque ex incerto rumore scivit, et ut pharisaeus aequum se Christianis praebere non potuit. Ipsae monumentorum inscriptiones saepe dubitanter leguntur, et correctio lectionis vel nova inscriptio inventa veteres sententias dissolvit. Pro tanta fontium discordia et incerta fide non est mirandum, si eruditi ubi de historia antiqua agitur, in diversissimas discedunt partes.

e) Multi antiquitatis investigatores rationalismo dediti, a S. Scriptura averso sunt animo. Omnia, quae Scriptura refert, suspecta habent, et fontibus profanis temere, sine cautela ac censura credunt; ubi autem pugna apparet, veritatem nec diligentius inquirunt, sed relationi profanae a priori assentiuntur.

3. *De pugnis physicis.* Pugna physica est dissensio inter S. Scripturam et scientias naturae, in specie astronomiam, geologiam, biologiam et physicam proprie dictam. Homines, qui studia naturae primis labris gustarunt, multum de repugnantibus Scripturae et naturae garriunt. Quorum sermonum inanitas apparet e sequentibus.

a) Finis revelationis et S. Scripturae est homines res fidei et morum, non autem scientias naturae docere. Perperam ergo in Scriptura placita et systemata astronomiae, geologiae vel biologiae aut horum argumenta quaeruntur. Veritatum physicarum quae interdum tanguntur, non sua causa, sed ob credenda et agenda sibi conjuncta fit mentio. (*Consideratio religiosa.*)¹

b) Proprium est S. Scripturae de omnibus rebus non nisi intuitu hominis agere. Res ergo profanae, mundus, astra, terra, hominum gesta, Bibliis curae non sunt, nisi quatenus ad salutem generis humani pertinent. Ideo apud Moysen terra omnibus astris praestat, quia illa est theatrum rerum narratarum. (Sicut in historia ecclesiastica Bethlehem est locus majoris momenti, quam Londinum.) Quocirca Moyses majore diligentia formationem terrae

¹ Doctrina haec non est concessio, quam scientia physica recentior theologiae extorserit. Jam S. Augustinus eam docet. »Non legitur in evangelio Dominum dixisse: mitto vobis Paracletum qui vos doceat de cursu solis et lunae; Christianos enim facere volebat non mathematicos.« (De act. c. Fel. Man. I. 9, 10.) Et Petrus Lombardus: »Hanc scientiam (naturae) homo peccando non perdidit; et ideo in Scriptura homo de hujusmodi non eruditur, sed de scientia animae, quam peccando amisit.« (L. Sent. dist. 23.)

enarrat, quam totius mundi; imo omnia astra tamquam terrae additamenta, ministeria, luminaria et mensuras temporis describit. (*Consideratio anthropocentrica.*)¹

c) S. Scriptura de rebus naturae oratione populari, secundum apparentiam earum et opinionem aequalium, nonnunquam plane per audaciores imagines loquitur.² (*Consideratio popularis.*) Ejusmodi locutiones vulgares secundum apparentiam semper verae sunt et ab ipsis eruditis usurpantur, quum oratio erudita pro statu scientiarum perpetuo mutetur; ita, ut si interpres moderna eruditorum lingua uti velit, quovis fere decennio genus dicendi mutare et novum commentarium scribere cogatur.

Modo populari Scriptura solem oriri et occidere dicit, solem et lunam luminaria magna appellat, solem jubente Josue constitisse narrat, neque his Ptolemaei systema approbare vult. Spiritus S. rei veritatem sane noverat, sed systema Copernicanum revelare consilium ejus non fuit. Si Moyses lingua erudita saeculi XIX. usus esset, per triginta saecula nemo eum intellexisset, et jam saeculum XX. ejus doctrinam tamquam obsoletam ac superatam despecturum fuisset. Utique potuit Deus veritatem objectivam revelare, quod tamen facere opus non erat; et talis revelatio profana studia humana supervacanea reddidisset, ordinemque cognitionis naturalem evertisset.

d) Verumtamen S. Scriptura neque in rebus profanis omnino falsum dicere potest, scilicet tale, quod saltem aliqua parte et ratione (religioso-morali, anthropocentrica vel populari) verum non sit. Huic enim obstat inspiratio, quae saltem negativa etiam in rebus profanis auctori sacro deesse nequit. Revera nunquam S. Scriptura recte intellecta nec in rebus profanis erroris convicta est.

e) Pugnae physicae, quae objiciuntur, partim ex perversa Scripturae interpretatione, partim ex falsis scientiarum physicarum hypothesibus nascuntur. Non Scriptura et scientia, sed exe-

¹ Sicut S. Scriptura, ita etiam traditio de rebus fidei et morum agit, res autem profanas non nisi leviter tangit, vel ex parte religionis tractat. Ideo in rebus profanis traditio exegetica non adest, perinde ac revelatio non est. Omnes ergo sententiae, quae in monumentis traditionis et in antiquis Bibliorum expositionibus de rebus profanis proponuntur, non traditiones, sed opiniones privatae habendae sunt, scientiis praeceptorum virorum physicis innixae.

² S. Hieronymus ait: »Multa in Scripturis sacris dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat.« (In Jer. 28, 10. cf. in Matth. 14, 8.) Et S. Thomas: »Secundum opinionem populi loquitur Scriptura.« (I. II. q. 98. a. 3. ad 2.)

getae et rerum naturae inquisitores inter se pugnare solent. Antiqui interpretes, quum probe scirent, ministerium scientiarum profanarum theologiae multum prodesse, Scripturam ope earum explanabant et nonnunquam opiniones vel plane errores illius aetatis S. Scripturae ingerebant, et diu tamquam doctrinam biblicam tradebant. Sed fatendum est etiam scientias naturae, quamquam ob inauditos, quos tempore nostro fecerunt progressus mirandas, praeter veritates et artes novas, multas quoque conjecturas adhibuisse, atque hypotheses incertas, imprimis de origine rerum finxisse, multumque et vehementer nonnunquam errasse. Plurimi naturae scrutatores philosophiam, cujus quaestiones ad sua studia trahunt, penitus ignorant; ideo licet rerum physicarum peritissimi, religionem oppugnantes peregrini atque hospites in provincia aliena vagantur. De cetero, qui maxime contra S. Scripturam clamitant, ne in rebus quidem physicis aliquid magni praestiterunt.

Ubi ergo obsoletae interpretationes veritatibus physicis, vel incertae hypotheses veritati biblicae repugnant, vera pugna non est. Veritates autem a scientiis naturae (sicut etiam a scientiis historicis) prompto libentique animo accipiendae et in Scripturae interpretatione adhibendae sunt. Idem ab interpretibus antiquis factum esse constat; qui etiamsi cum scientia aetatis suae erraverint, certi ideo vituperari non merentur. Imo exemplum nobis praebent, ut simili studio scientiis adultis in exegesi utamur, atque illi adolescentibus.

Ergo non licet in exegesi certis veritatibus naturalibus aut sententiis verisimilibus contradicere, nec sensum S. Scripturae ad hypotheses detorquere, nec sine causa relinquere. Quae Scripturis certe et clare continentur, ea scientiae admittere debent; quae autem scientiae certa docent, ea exegetae pro veris accipiant oportet. Nunquam exegeta sententias físicas impugnet, nisi partem rei peritorum auctoritate gravem sibi suffragari sciat. Si difficultates occurrant, earum solutio ab incremento scientiarum exspectanda. Multas jam controversias profundiora studia et nova inventa diremerunt; quamobrem tuto confidere licet, etiam eos, qui adhuc solvi forsitan nequeunt, nodos, per scientiarum progressum expeditum iri.

§ 77.

Mutua exegesis et scientiarum relatio.

1. — Et exegesis et scientia profana, fontes proprios habentes, veritatem ex illis hauriant, oportet. Quum autem veritas veritati repugnare non possit, fructus studiorum cum aliis veritatibus conferri debent, quibus si dissentiant, novum studium instituendum, dum concordia efficiatur, quae nisi ab alterutra parte erratum sit, necessario efficitur. Haec est regula concordiae omnium scientiarum, etiam exegesis.

Hic autem respectus *opinionibus* alienis non debetur, quia illae falsae esse possunt. Tamen sententiae opinionibus aliarum scientiarum probabilibus, quamquam non certis, contrariae, sine gravi causa non sunt proponendae.

Hac in re diversae sunt tum scientiarum profanarum, tum exegesis agendi rationes, quae quasi totidem *scholae* eruditorum dici merentur. Inter *cultores scientiarum saecularium* sunt: a) qui revelationi et Scripturae divinae credentes, earum in studiis suis respectum habent, et earum trutina placita scientiarum examinant, nihilque quod revelationi repugnet, profitentur. Tales sunt omnes eruditi vere Christiani et catholici. b) Alii etiamsi a revelatione liberi in scientiis agant, tamen veritatem ex propriis fontibus sincere et diligenter quaerentes, dissensiones revelationis cum scientiis non captant et plerumque neque inveniunt. Tales sunt eruditi graves permulti. c) Non desunt tamen religionis inimici, quorum in studiis non tam intersit veritatem invenire, quam revelationem oppugnare. Hi sunt viri levius eruditi et scriptores librorum ad vulgarem intelligentiam accommodatorum, qui scientias vix primoribus labris attigerunt.

At etiam in exegesi, prout majores vel minores partes scientiis profanis in ea tribuntur, variae sunt agendi rationes et scholae.

2. — Quod ad *concordiam Scripturae et scientiarum saecularium* attinet, duplex ratio exegesis distinguitur.

a) *Schola concordiae profanae* S. Scriptura quasi fonte scientiarum profanarum utitur, in eaque veritates etiam naturales saltem implicite tradi existimat, controversiasque scientiarum modernarum ex Bibliis dijudicare vult. (*Concordia profana positiva*.) Si de quaestionibus historicis sermo est, haec agendi ratio saepe recta est, quia multi libri sacri sunt vera opera historica. Sed si agitur de quaestionibus scientiarum naturae, quas Scriptura tantum obiter, intuitu religionis, hominum et modo popu-